



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

9. Dictvm Herodis Agrippæ, Regis Iudæorum, percussi ab Angelo, cruciatu  
& inflammatione ventris, quòd diuinum sibi honorem aroogasset, &  
excepisset oblatum à populo. Euse. lib. 2. Ecclesi. hist. cap. ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Rebus in afflictis hominum cum deficit omne,  
Incipit auxilium praesidiumq; Dei.*

8. DICTVM IACOBI APOSTO  
li, fratris Ioannis Euangelistæ, ad eum,  
qui conuersus subitò in itinere ad fidem  
Christianam, vnà cum ipso Apostolo  
ad supplicium ducebatur, qui A-  
postolum paulò antè ad mar-  
tyrium tradiderat. Euseb.  
lib. 2. cap. 9.

*Nomine pro Christi Iacobus Apostolus ense  
Herodis saui cum feriendus erat,  
Ducitur, ad Christum subitò conuersus & ille,  
Sanctum qui morti tradidit antè virum.  
Qui veniam sceleris tanti cum posceret, vltro  
Hanc fidei socio, supplicijq; dedit.  
Pax tibi sit, dixit, socio simul oscula figit,  
Sic petit ætherias letus vterq; domos.*

9. DICTVM HERODIS AGRIP-  
pæ, Regis Iudæorum, percussi ab Ange-  
lo, cruciatu & inflammatione ventris,  
quòd diuinum sibi honorem arro-  
gasset, & excepisset oblatum à  
populo. Euse. lib. 2. Ecclesi.  
hist. cap. 10. & Acto-  
rum 12.

En

Anno  
Christi  
47.

**E**N ille ego Deus vester, ecce propellor  
confestim, & deturbor ex vita: quoni-  
am quidem virtus diuina me per colla-  
tas in me falsas arguit voces.

*Impius Herodes Tyria cum veste sederet  
Indutus, radijs sole micante nouis:  
Diuinos populi sumpsit plaudentis honores,  
Interitum adsciscens exitiumq; sibi.  
Nanq; miser fœdi correptus tormine ventris,  
Extinctus subito turpe cadauer obit.  
Hæc, vbi cum gemitu miserando dixit amicis,  
Numen erat quorum nuper in orbe sacrum,  
En Deus, en vestris modò qui sum cultus in oris,  
Extinguor miseris, numen inane, modis.  
Exerit hanc contra me vim diuina potestas,  
Ne videar posthac vester, vt antè, Deus.  
Sic fatur, gemitu misero sic vita recessit,  
,, Hostes sic Christi tristia fata manent.*

10. DICTVM TERTVLLIANI ET  
Eusebij, de Nerone Tyranno Cæsare,  
primo Christianorum persecuto-  
re & hoste. lib.2. Ecclesia.  
hist. cap. 24.

**Q**Vi Neronem scit, intelligere potest,  
non nisi grande aliquòd bonum à  
Nerone damnatum. Hunc parrici-  
dam & incestum primum ex Imperatoribus  
deciuit in Deum impietatis arma conuertere.  
Impius